



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 100. Thessalonica a Turcis occupata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)



§. XCIX.

Sæcul. XV.  
A.C. 1431.*Regis Castellæ victoria de Mauris*  
*reportata.*

Hoc item anno Castellæ Rex bellum *Marian. l. 21*  
 contra Mauros Granatenses in Hisp. *c. 3. & 4.*  
 pania, eo quod tributum alias ab eorum  
 Rege præstitum ei denegassent, feli-  
 cioribus auspiciis gessit; quippe inter a-  
 lias, pluresque victorias contra eos re-  
 portatas celeberrima fuit, qua primo die  
 Julii in loco, cui a *Ficu* nomen, in prælio  
 supra decem millia Maurorum interemit,  
 paucissimis suorum desideratis. Valuisset  
 prospero hoc successu opportune uti, &  
 Granatam urbem nullo ferme negotio  
 capere, maxime cum inter ipsos Mauros  
 dissidium ferveret, nisi Alvarus de Luna,  
 qui in hac regione rerum summam mo-  
 derabatur, auro Maurorum corruptus,  
 recuperandæ urbi obstaculum posuisset.

§. C.

*Thessalonica occupata a Turcis.*

Amurates Turcarum Imperator in men- *Leunclav.*  
 se Augusto in Macedonia Thessaloni- *l. 14.*  
 cam occupavit. Urbs hæc, quam Græci  
 aliquot ante annos, cum illam contra *Chalcond.*  
 Turcas se tueri posse diffiderent, Venetis *lib. 5.*  
 vendiderant, præ reliquis Græciæ civi-  
 tatibus, & amplitudine, & divitiis cele-  
 S s 2 berri-



Sæcul. XV.  
A.C. 1431.  
berrima est, cui ingentem quoque splendorem addidit Sedes Archiepiscopalis, quæ ibidem ab Innocentio III. Papa restituta est, postquam cives capta a Gallis Constantinopoli sacrarum expeditionum tempore ad Sedis Apostolicæ obsequium redibant. Præcipue vero hujus urbis gloriam auget, quod S. Apostolus Paulus in ea commoratus, fidem Christi prædicasset. Hanc itaque Turcæ hoc anno diripuerunt, compluribus civium trucidatis, aliis vero divenditis, in quorum locum Ottomani succedere, civitati deinceps nomine *Salonicæ* imposito. Veneti, qui in præsidio erant, per navigia, quæ in portu hærebant, fuga elapsi aliquamdiu bellum continuabant, sed Turcæ hujus Urbis imperium adhucdum retinentes, eam totius Græciæ longe celeberrimam reddiderunt.

## §. CI.

*Græcorum Legati Constantinopolim reversi.*

*Phranz. l. 2.*  
*s. 13.*  
Mense Julio currentis anni redeunt Constantinopolim Legati a Joanne Palæologo Græcorum Imperatore ad Papam missi. Erant vero ii Marcus Jagre ex Palæologorum genere, Proto-vestiarius; Connestabilis; magnus Archimandritarum Protosyngelus, seu Præfectus; Basili-